Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8337
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

lina studio sapiencie quod phylosophia dicitur. Meum iudicium
semper fuit omnia nostros aut invenisse per se sapi-
encius quam per grecos aut accepta ab illis fecis-
se meliora. Natura enim est inditus mentibus nostris insaciabilis
quedam cupiditas veri videndi. Ibidem libro
ii. phylosophia paucis est contenta iudicibus. Multitu-
dinem consulto ipsa fugiens, eique ipsi et suspec-
ta et invisa est. Phylosophia medetur animis, inanes
sollicitudines detrahit. Cupiditatibus liberat,
pellitque timores. Ibidem libro iii. phylosophia est
profecto animi medicina. Virtutis adipiscen-
de causa phylosophia quesita est. Ibidem libro iiii.
Phylosophia ex racione constat. Ibidem libro v. et fine.
Quid est dulcius ocio litterato? Idem de fine
bonorum et malorum libro iiii primo. Ita sen-
cio et sepe disserui latinam linguam non modo
non inopem sed locupletiorem esse quam grecam.
Ibidem libro ii. A grecis phylosophiam et omnes
ingenuas disciplinas habemus.

Seneca epistolarum ad Lucillum libro vii. epistola v.
Adeo phylosophia sanctum quiddam est ut etiam si quid illi simile
est mendacio placeat. Idem libro xv epistola
prima. Phylosophia sapiencie amor est et affectus. Phy-
losophie tres partes esse dixerunt et maximi et
plurimi auctores: moralem, naturalem et racionalem.
Prima componit animum. Secunda naturas rerum scrutatur.
Tercia proprietates verborum exigit et structuras et argumentaciones, ne pro vero falsa
surrepat. Ibidem epistola viii. liberalibus artibus.
Liberalia studia virtutem dare non possunt,
sed animum ad recipiendum virtutem preparant.
Liberales artes non perducunt animum ad virtutem
sed expediunt. Quid est quare existimem non futurum
sapientem qui litteras nescit, cum sapiencia non sit
in litteris: res tradit non verba.

Cecilius Firmianus de beata vita libro iii. Mu-
ltis artibus opus est ut ad phylosophiam possit ac-
cedere.

Cato capitulo primo. Disce litteras.

Boecius in de disciplina. capitulo primo quod est prohemium.
Fere nulla sicut artes absolutum perhibent mi-
chi que digna fuit tantum est scientia visa presidiis
ut non ceterarum quoque artium adiumenta de-
sideret. Ibidem ii. capitulo quod est prohemium phylosophia est
amor sapiencie.

Cassiodorus epistolarum libro ii. epistola xxxiiii. Glo-
riosa est scientia litterarum, quia quod primum est
in homine mores purgat, quod secundum verborum gratiam
subministrat. Ita utrisque beneficiis mirabiliter ornat
tractatos et quietos. Ibidem libro iii. epistola. Geumetria
quippe ubi est hominum genus acutissimum atque so-
licitum. Caldei primum invenisse memorantur.
Idem libro vi. epistola xviii. Inter utilissimas ar-
tes quas ad substentandum humane fragilitatis
indigentiam divina tribuerunt nulla prestare videtur
aliquid simile quam potest auxiliatrix medicina con-
ferre. Ipsa enim morbo periclitantibus materna
gratia semper assistit. Ipsa contra dolores pro nostra
imbecillitate confligit, et ibi nos nititur suble-
vare ubi nulle divicie nulla potest dignitas
subvenire. Nullus iustius assidue legit quam qui
de humana salute tractaverit. Idem libro ix.
epistola xxi. Gramaticorum scola est fundamentum
pulcerrimum, Mater gloriosa facundie, que cogitare
novit ad laudem, loqui sine vicio. Hec in cursu dicen-
di sic errorem cognoscit absonum quemadmodum
boni mores crimen detestantur externum. Idem libro
x. epistola iii. Eruditio litterarum nam laudabilem
eximie reddit armatam. Inde prudens invenit
unde sapiencior fiat. Ibi bellator recipit unde animi
virtutem reparet. Inde princeps accipit quemad-
modum sub equalitate componat, nec aliqua in
mundo potest esse fortuna quam litterarum non augeat
gloriosa noticia.

De auctoritatibus scienciarum et libris earum. capitulum ii.

Aristoteles Ethy. libro primo. capitulo iii. Videbitur utique
melius esse forsitan et oportere pro salute ve-
ritatis et familiaria destruere, alios et phylosophos
existentes. Ambobus enim existentibus amicis
sanctum est prehonorare veritatem.

Oratius epistolarum libro primo epistola prima.
Nullius addictus iurare in verba magistri
Quo me cumque rapit tempestas deferor hospes
Idem libro ii. epistola ii. et fine.
Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes.

Tullius tusculanarum questionum libro v. et fine. Acute disputa-
tis illud est non quid quisque dicat sed quid cuique
dicendum sit videre. Idem de natura deorum libro iii.
et fine. Suo quisque iudicio utendum est.

Ovidius de tristibus libro ii. epistola prima.
Omne genus scripti gravitate tragedia vincit
hoc quoque materiam semper amoris habet.

Seneca epistolarum ad Lucillum libro primo epistola ii.
Distrahit librorum multitudo. Itaque cum legere
non possis quantum habeas, satis est habere quantum
legas. Idem de tranquillitate animi. Onerat discen-
tem turba librorum non instruit. Multoque sacius